hora cenae dicere inuitatis ut uenirent. quia iam parata sunt omnia & coeperunt omnes simul excusare; Primus dixit, uillam emi & necesse habeo ire & uidere illam rogo te habe me excusatum, & alter dixit, iuga boum emi quinque: & eo probare illa; rogo te habe me excusatum. & alius dixit uxorem duxi. ideo non possum uenire. Reuersus seruus nuntiauit haec domino suo. Tunc iratus pater familias dixit seruo suo. exi cito in plateas & uicos ciuitatis. & pauperes & debiles. & cecos & claudos introduc huc, & ait seruus domine factum est ut imperasti. & adhuc locus est. & ait dominus seruo; Exi cito in uias & sepes & conpelle intrare ut impleatur domus mea. Dico autem uobis quod nemo uirorum illorum qui uocati sunt gustabit cenam meam.

## OMELIA LECTIONIS EIUSDEM HABITA AD POPULUM IN BASILICA BEATORUM APOSTOLORUM PHILIPPI ET IACOBI.

HOC DISTARE FRATRES KARISSIMI INTER DELICIAS CORPORIS & cordis solet; quod corporales deliciae cum non habentur graue in se desiderium accendunt, cum uero habitae eduntur, Comedentem protinus in fastidium per satietatem uertunt. At contra spiritales deliciae cum non habentur in fastidio sunt cum uero habentur in desiderio; tantoque a commedente amplius esuriuntur. quanto & ab esuriente amplius commeduntur; In illis appetitus placet. & experientia displicet; In istis appetitus uilis est. & experientia magis placet; In illis appetitus saturitatem. saturitas fastidium generat; In istis appetitus saturitatem. saturitas appetitum parit; Augent enim spiritales deliciae desiderium in mente. dum satiant; quia quanto magis earum sapor percipitur. eo amplius cognoscitur quod auidius ametur, & idcirco non habitae amari non possunt. quia earum sapor ignoratur; Quis enim amare ualeat quod ignorat

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0134